



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Trahi à Deo ad monasticen, quanta sit gratia, quiq[ue] is, suum institutum
auspicari, à quibus item sibi cauere, quomodo quoq[ue] vocationem
diuinam attendere debeat. Epist. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

LANSBERGII
 CARTHUSIANI, EPISŒOLARVM
 PARÆNETICARVM AC MONALIVM QVAS
 SCRIPSIT AD DIVERSORVM ORDINVM,
 statuum, conditionumq; homines,

Liber I,

Trahi à Deo ad monasticen quanta sit gratia: quiq; is qui trahitur ad eam, suum institutum auspiciari, à quibus item sibi cauere, quomodo quoque vocationem diuinam attendere debeat.

Epistola I.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIVS, CARTHVS,
 suo familiari amico ad magisterium philosophiæ aspiranti, pacem, gratiam & salutem in Christo Iesu Domino nostro.

Quanta sit
 gratia trahi
 à Deo ad
 monasticè.

Diabolus
 quibus infestior sit.

Vt spes in
 Deum firma
 gerenda sit.

SCis frater optime amicitiam nostram iam olim in seculo initiatam, & hucusque certam ac fideliter deductam: quam & modo non intermittendam duco, sed firmiori charitatis vinculo, utpote Domino Iesu nostro constringendam. Sed quid moror? Accepi te à Domino magna esse gratia obumbratum (& verè magna, quæ multis forsità nobis melioribus denegatur) ut contemptis omnibus huius seculi fastibus, post habitis honoribus Dominum tuum Iesum, quem tamèdium huc vsq; offèdisse te piget, tibi in sponsum reconciliare cupias, abdicando propriam voluntatem, cum sponte, ipsius cruce apprehensa, viriliter sequendo, & q; lōgo quantumq; superiori temporis curriculo facere neglexisti, iam intrepidè breui speras, duce omnium nostro Salvatore, eiusq; gratia exuberantissimè emanante, adimplendum. Cæterum quia antiquus hostis, & fidelium cordium indefessus impigerq; insidiator (qui his præsertim magis infensus est, quos sub ditione sua, ac dominio aliquantum vinctos tenuerit, cum vinculis dissolutis liberi ad pristinum redemptorem suum cursitant) pios conatus totis viribus solet impedire, possit & is tibi curiosas ac importunas ingerere molestias, iam Ordinis nostri rigorem, iam seculi opinatam gloriam, tum liberam vitam priorem præfigens, tum alia quæ te perturbatum redditura callet, quo facilius à animi tui sententia deducat, & gratiam, qua à Domino inuitaris amissam in ultionem aut obstinationem induratum tibi peruertat, ut eo cautior sis, fidelite admonitione excitabo. Priunum, inquam quo tibi summè opus est, timore omni malo eliso, spem in Domino firmam habeas, ut qui tibi id voluntatis dederit, & sua te etiam gratia exaudiens locum & tempus quo ei seruias cōstituturus sit. Nec vacilles si non cito exaudierit. Diutina enim & feruens oratio ac perseverans cum fiducia in maiore gratiam tibi posthac cedit. Solet enim Dominus plerunq; non tam cito orata præ-

ta præstare, vt his tandem post multos labores, & feruentes orationes adeptis, charius & cautius retineant. Gratis enim data & ea quæ occasione se offerunt, parui curantur, sed quæ laboribus parata sunt difficilius erogantur, cautius seruantur, ardentius denique amantur. Tum etiam Deus differt, vt orantis animum feruentius incendat & in petitione continua inardescat: & quod cum desiderio & ardore æstuanti acceperit, ingratus posthac ne rursus abijciat. At denique aliud est, vehementius quod Domini aures obturat, animi imbecillitas, fiduciæ paruitas, & spei pusillanimitas. Si enim cum dubio Dominum oraueris, de eius pietate ambiguus, quomodo te exaudiet? Nisi enim spem firmam in ipsum collocaueris, citra præsumptionem tamen, ac totum denique in ipsum te dederis cum fiducia (& si dilatus fuerit effectus orationis) te exaudiendum, nihil impetrabis. Audi illud ex epist. Iacobi quod nobis hodie legebatur, loquentis inter cætera de oratione: *Postulet autem in fide, nihil hesitans, quia qui hesitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & defertur. Nō ergo astimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis.* Hæc ille. Tuū itaque patienter voluntatem Dñi expectare, cui tuam conformem reddi depreceris. Assidua sit hæc breuiuscula tibi in ore petitio: Ad laudem & gloriam Domine mi suauissime Iesu Christe ordina statum meum, & quicquid à me requiris, tribue vt sciam, velim & te auxiliante sicut oportet, perficiam: & sine dubio exaudieris. Sed neque timore aliquo frater mi concutiaris, aut formidolosus nimium fragile huic oneri subeundum te iudices, Audi verba Christi: *Sine me nihil potestis facere.* Si tibi velle dederit, posse quo tibi magis opus erit, non recusat. Quid enim minimi sine eius præsidio speremus nos aggressuros? Quis adeo confidens qui sibi pòdus libræ gestatrum citra eius auxilium ausit polliceri? Quis adeo robustus aut fortis qui formicam præter eius assensum interimere præsumat? Sic quis adeo pusillanimis, qui in rigore huiusce Ordinis non speret sibi assuturum suum Dominum cuius crucem portat? Si enim inimicis suis, & gentibus benefacit, quanto magis seruis suis miserebitur. Non igitur in corde volutes (à tentatore nequissimo instructus) hæc sufferre nequeo, hæc aggredi metuo. Cogita futuram pro peccatis imminentem tibi penam, si hic non penas Christo dederis aut cum magna misericordia in purgatorio, aut etiam quod absit, gehennæ flamma cruciaberis: vbi sustinentæ penæ optio nulla dabitur, nec euadendæ spes erit. Compara temporalem quæ homini iusto solatiū est æternæ aut futuræ, an nunc instante pro Christo cum ipsius dulci continuè consolatione, an futuram sine vlla redimendi spe facilius toleraturum speres. *Eia expergiscere mi frater: ea quæ tu forsitim aliquando reputabas solatia, tunc in conuersione tibi sunt cogitandi tormenta, nedum faciendi.* Cogita peccata impunita non abire. Si enim Deus Pater propter vnum peccatum Adæ Filium suum morti tradidit, vt iustitiā tenendo peccatum inultum non abiret quomodo nos sine afflictione aut miseria nostra delebimus peccata? Alloquere igitur sic Dominum tuum Iesum dulcissimum: Sufficiat mihi Iesu dulcissime peccasse: satis erit me impiam bestiam te huc vsque meum redemptorem in cruce pro ludibrio habuisse. Ecce nunc ad te venio: quid timeam? Manus in cruce ad amplexandum me expandis. Caput ad suauissimum pacis, & veniæ, & reconciliationis osculū præ-

Preces nostras vt Deus quandoque exaudire differat.

Quid faciat preces nostras difficilius à Domino exaudiri. Iacob 1.

Oratio sæpius iteranda piū aliquid iustituenti.

Iacob 5.

Matt. 5.

Penas peccatorum aut hic, aut in futuro lucendas

Iob. 24. Vt peccata non abeant impunita. Rom 8

Precatio pro conuersione ad Deū

prabendum. Impone mihi quicquid oneris vis tua gratia. Gaudeam sub cruce pro te despici, affligi, pati, quem tu pro me vilissima creatura sanguinem tuum fundens despici, conspui, lacerari, enervari, crucifigi non renuisti. Abscondam me in vulneribus tuis, fugam ex vulneribus tuis & latere tuo, sanguinem mellisui amoris tui. Impone bone Iesu iugum tuum suave & onus tuum leue. Quid timeam? cum mihi semper astes: Quem formidem, cum in vulneribus tuis abditus iaceam, cum in te sepeliar clamans cum Dauide: *Nā etsi ambulauero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniā tu mecum es.* Rursum cum Iob: *Si me occideris in te sperabo?* Ecce dulcissime Iesu qui ad eum remota à te fui separatus perditus filius, substantiam patris totam consumens, in tuos amplexus venio, in collum tuum benignissimum me complico. Hincque non recedam, donec non solum in seruum, sed & in sponsum tuum me receperis. O bone Iesu quis calumniatorum tunc diuortium inter nos fecisse se gaudebit, quis me eripere à te poterit, quis me à tua charitate separabit?

Rom. 8.

Huiusmodi itaque tibi forma cogitationes percharere frater & crucem Domini sponte apprehende, à qua nullus vnquam sanctorum liber aut immunus fuit. Non dicas: Timeo me non sublaturum, quasi in fragilitate tua confidens, nil impar tuis viribus de diuino auxilio non sperans arripere aut aggredi debeas. Vt enim de sua fortitudine presumens nimium sibi confidit: ita de fragilitate sua nemo sapiens desperat, sed omnia diuina prouidentia moderari sperat, ad cuius arbitrium se proijcit & offert, nec quicquam tam arduum quod eius gratia aggressurum desperet. Nouit enim ipse solus quid tibi desit, quo egeas, quid iuuet, quid urgeat, vbi asperitate, vbi lenitate, vbi correptione, vbi demum dulcissima nobis sua opus fuerit consolatione. Medicus hic sine deliberatione nobis prouidet, sine temporis dilacione medetur ac denique sine vlla nostra complexionis aut morbi perscrutatione sanat.

Ve nos totos diuinæ prouidentie committamus
Psal. 15.
Psal. 22.

Nostrium hoc solum erit nos ipsius gubernamini offerre totos, non vacillantes, non hæsitantes, sed firma omnino spe in ipsum iactos nos eius diuinæ commendare prouidentie. Vnde: *Prouidebam (inquit) Dominum in conspectu meo semper: quoniā à dextris est mihi ne commouear.* Et alibi idem: *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Sed de hoc hætenus. Quid aliud nunc faciendum ducis? Nēpe hoc solum nostrum est, Deo magnas gratias vtrunque possumus agere, & nos ex seculi teterrimis vanitatibus, ex perniciosis voluptatum simulachris, de manu Aegypti ad terram promissionis educere curat. Sequamur frater optime: habemus qui precessit, tutum est iter etsi laboriosum itineris certamen aliquantulum nobis videatur: hospitij paterni huius iucundissimi nobis preparati nō immemores sumus: recolamus requiem laboris nostri felicissimam & perpetuam. Nō obliuiscamur denique certaminis Domini nostri Iesu Christi pro nobis vt illam iuculentissimam nobis hæreditatem suo sanguine purissimo compararet, & ipsius iugum suave & onus leue nobis erit. Si enim eius in prælio comites fuerimus, in tropæo victorioso, in præliis confortes collocabimur. Gratiā, inquam, agamus Domino Iesu nostro iudice: cum ipse ob primorum parentum peccatum offensus non iudicario functus officio, sed & pro peccatis ipse satisfacere voluit, quibus diuinam ipsius maiestatem laesam vltionem tribuere decuisset. Sed nec hoc tibi satis

Matt. 11.
Quanta clementia Dei erga nos.

pro

pro nobis videbatur factum vt ignosceret, nisi & proprium sanguinem in cruce pro nostris peccatis effudisset: vt peccatum cuius ipsi soli potestas vindicandi fuerat, nō inultū ipse moriens dilueret. En quanta saluatoris nostri benignitas quantus humani generis amor, quanta ad humanæ naturæ sanitatem & vilissimum stercus dilectio, vt potius quam nos lapsos resurgendi impotentes relinqueret, nostram culpam sibi imputans vt propriam dilueret. At nunc redempti quid agimus? Nunquid huic ipsius charitati diu noctuq; corpus macerando, gratias agendo, ipsi compatiendo in labore, & ipsius ardenti desiderio, feruenti amore, toto studio comparandos efficiemus? Sed aheu quod paulo ante ablutum gaudebamus, iam grauiore peracto omni momento redemptione pristina egemus, eius charitatem in nos conculcantes, terga cruce vertentes, ab ipso fugientes, solum cum sola matre pendere relinquimus, solum lachrymari, conspui, lacerari, in passione sine vlla requie (quasi hic nostra non vlla res agatur) conculcari. Eia bone Iesu quamdiu parcis, quantisper tibi exprobrantibus benefacis, odientes diligis, fugientes sequeris, obloquentibus dulciter blandiris? Quid aliud tibi nunc agendum foret, nisi momento vno omnes simul ad puteos infernales detrudere rapiendos? Sed hoc non admittit tua pietas, charitas prohibet, fugit dilectio. Errantem namque quem potius super humeros ponis, inter brachia amplecteris, in sinu vt filium pia mater foues, donec tuæ dulcedinis multitudine gustata qui prius vt hostem te spernendo insequeretur, familiaris iam extat amicus. Sed quid multis moror, quid diutius scribendo tuum aduentum differo? Vocatus mi frater à Domino es, arripe iter, festina cursum ad supernæ vocationis brauium, tende celerius, cœna parata est, excusatio nunc opus non est, ne cum his in Euangelio à cœna refuteris indignus. Nempe secunda forsitan est hæc pulsantis Domini vocatio, de qua Dominus dicit: *Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus, & pulsauerit ianuam eius, inuenerit vigilantē.* *Si si in secunda & tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beatus est seruus ille.* Vocationum tria namque genera sunt: pueritiæ, quæ vigilia prima dicitur: iuuentutis siue adolescentiæ maturioris secunda, tertia imminētis est senij. Videamus nunc si libet frater charissime, qua vigilia nos vocemur, in secunda videlicet, Nam ad primam obdormiuimus, Domino pnsanti non respondimus verbum. Venit pius Iesus nunc in secunda vigilia. Eia frater age, age expergiscamur, *hora est iam nos de somno surgere.* Vigilemus, Domino respondentes ipsum introducamus ne forsitan nostram desidiam, prolixos somnos, pigramq; inertiam exofus, tertio non redeat. sed dormientes nos, in noctis silentio nobis sur inſidians continuè per fossa domo tunc opprimat. *Vale mi frater.*

Precatio ad Iesum Christum.

Luc. 15.

Phil. 9.

Matt. 22.

Luc. 14.

Luc. 11.

Vocationis diuina tria genera.

Rom. 15.

Marc. 13.

Luc. 12.

Amoris priuati qua incommoda, persecutionem omnem superandi pacemq; veram obtinendi qua sit ratio, p̄sca, cunctis quæ sit necessarium exerceri vexariq; ab alijs.

Epistola II.

F. IO.